



Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

De Sanctorum Festiuitatibus Annitotius - Nvnc Demvm Integre Svppleti,
Concionibus per octauam Vener. Sacramenti suo ordine intersertis

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1620

In Festo decollationis S. Ioannis Baptistæ. Misit Herodes Rex, & tenuit, &c.
Matth. 14. 1. De feritate mulierum. 2. De dictis illis S. Ioannis: Non licet
tibi, &c. 3. Malitia Herodiadis. 4. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56205](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56205)

IN FESTO DECOLLATIONIS SANCTI IOANNIS

Baptiste.

Partitio.

- I. De mulierum feritate.
- II. De dictis illis S. Ioannis: Non licet tibi.
- III. De Herodiadis malitia.
- IV. De S. Ioannis Baptiste prerogativa.
- V. De Herodis crudelitate.
- VI. De S. Ioannis sanctitate & magnitudine.

Misit Herodes Rex, & tenuit Ioannem, &c. Matth. 14.

FIGURA

Sumus Sacerdos Azarias, zelo Dei uiuentis, eiusque honoris flagrantissimus in Paralipomenon libris mirificis in celum laudibus extollitur, quod insigni & infracta quadam mentis constantia sacrilegis & profanis Ozia regis Sacerdotij dignitatem & munus, magno Dei eiusque templi honoris contemptu, temere sibi arrogantis, molimnibus ausus fuerit resistere. Sed videmus hic alium, non minori zelo ardentem Dei seruū, & Zachariae magni filium, qui non minori celebratur praconio, quod animose se etiam Regi opposuerit Herodi, eiusque incestas cum fratris vxore nuptias, quae in diuinorum mandatorum contemptum, Sacramentorum Ecclesiasticorum & praesertim matrimonij violationem, & insigne proximi scandalum cedebant, heroica generositate coarauerit. Ioannem Baptistam intelligo, qui quod veritatem tueretur, impietati resisteret, honoris diuini zelo arderet, & enormia scelera reprehenderet, caput simul & vitam perdidit. Ut latius de tam egregia materia agamus, caelestem inuocemus opem, idque intercessione factatissimae Virginis, quam idcirco Angelica salutatione impertiamur dicentes,

AUE MARIA.

Sapientum omnium Princeps Salomon

fuis in libris passim, & nominatim in Ecclesiastico de mulieris nequam moribus, natura, & indole tractans, pauca & tribus prope le malitia verbis complexus est, quod multis alij forte libris & tractatibus dilataissent, Breuis, inquit, omnis malitia super malitiam mulieris. perinde ac si dicerem. Nullamquam in mundo malitia reperietur, quae cum muliebri sit conferenda. Vnde etiam Menander Comicus Graecus:

Ουδεν & παντων ἀγροτιζα κακὴ γυνή.

Ferū omnibus agrestior mala mulier.

Menander.

& alio loco:

Ἰσον λαιῶν καὶ γυναικὸς ὀμότης.

Par est laena & mulieris crudelitas.

Eurip. in

Phoenis.

Ad eundem sensum alius Poeta, & is tragicus, Euripides inquam, mulierum malignitatem describens satis atrociter loquitur:

Cum multa in terra maris fera sint,

Omnium maxime mulier fera est:

Mulier enim efferaissimum malum est.

Vbi mulieres, ibi omnia mala sunt.

Fœmina

belluas

feritate

superat.

Chrysof.

Ioannes Chryostomus hac latius deducit, & pro sua eloquentia inductione hoc probat, Nulla, inquit, bestia in hoc mundo similis est mulieri mala: quid leone inter quadrupedia sanius? quid serpentibus aut draconibus atrocius? sed hac animalia in malo mulieri inferiora sunt. Exemplis deinde hancce mulieris nequitiam, & animalium e contra mansuetudinem affruit, Iustum Danielem in lacu leonum reueriti sunt, iustum Naboth lefabel interfecit: cetus Ionam in ventre custodiuit, Dalila Samsonem tradidit Philisthis: Eliam corni pauperunt, & lefabel eum persequatur. Vnde efficere vult, nihil esse, quod cum mulieris malitia sit comparandum.

Spiritus sanctus hec omnia confirmans, hoc apud Ecclesiasticum consilium omnibus suggerit, Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam, & rixosa atque inde infert, mulierum perniciosarum contubernium ac commercium ipsarum belluarum siluestrium incursum magis esse metuendum.

Ecclesi. 25.

Eodem in loco non absimilis ab eodem profertur sententia, Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris, in eadem ecce bilance collocat & caput serpentis, & mulieris iram.

Ibid.

Sfs 3

Chry-

In illud
Matth. 8.
Non expedit mulie-
rem, &c.

Chrysoſtomus, quem iam ſæpius citavi-
mus, hanc iterum cordam tangens, & illum
Matthæi locum, *Non expedit mulierem*, &c.
interpretans hæc explicationis loco addu-
cit, *Quid eſt aliud mulier, niſi amicitia inimi-
ca, neceſſarium malum, inſeſugabilis pœna, na-
turalis tentatio, deſiderabilis calamitas, dome-
ſticum periculum, delectabile detrimentum.*
Non offendantur, quaſo, mulieres his audi-
tis, mihi que ſuccenſeant, prudentium & mo-
ratarum honos hic nulla ratione tangitur,
ſed ad prauarum & improbarum confuſio-
nem hæc dumtaxat ſcripſit Chryſoſtomus,
non ego.

Secund
Philosophi
gnome.

Eadem ſi non verbis, ſenſu ſaltem eadem,
eademque in ſubſtantia, apud veterem quæ-
dam Philoſophum, nomine ſecundum repe-
rio: hic etenim interrogatus, *ecquid eſſet*
mulier, hoc reſpondit modo, *Hominis conſu-
ſio, inſatiabilis beſtia, continua ſollicitudo, inde-
ficiens pugna, quotidianum dampnum, ſolitudi-
nis impedimentum, viri incontinentis nauſtra-
gium, adulterij vas, pernicioſum prælum, ani-
mal peſſimum, pondus grauiſſimum, aſpis inſa-
nabilis.* Verba ſ. ne odioſa & offendetia. Cre-
diderim Philoſophum hunc vna quaſi fide ſua
vniuerſa ſexu huius ſequioris propudia, vi-
tia ac labeſ perſtringere voluiſſe.

In vitis
Philosopho-
rum.

Reſert Laetius, vt profanis citationibus
inhæreamus, magnum illum Philoſophum
Pythagoram, cum de mulierum natura ac
moribus ſermo incidiffet, dicere ſolitu-
m prauas dumtaxat ſuggillando, duo in earum
oculis lacrymarum genera reperiri, veri do-
loris vnum, inſidiarum vero aliud. Docere,
mea ſententia, volebat, tantam capite mulie-
bri malitiam foueri, vt, tameti oculis pro-
rumpentes lacrymæ doloris interdum ſint
teſtes & notæ, vt plurimum tamen illarum
proditionem & inſidias quam pernicioſiſſi-
mas oculant.

Eurip Me-
dea.

Hoc apud Euripidem in *Medea* de ſe ipſa
teſtimonium ferunt mulieres: *Mulieres ſu-
mus ad bona conſilia pauperrima, malorum au-
tem omnium artiſices ſapientiſſima.* Suam huc
etiã ſymbolam alius de Græcis Poetis, is
quem iam ante produximus, Menander, con-
ferat,

Θυγατρὸς ἐστὶ τῶν κακῶν κακὴ γυνή.
Theſaurus eſt malorum femina improba.

Alibi autem apud illum, velut prouerbij vi-
cem, hic verſus occupat:

Δάρα αἰα, πῦρ, γυνή κακὰ τῆα.

*Tria ſunt mala, Oceanus, & ignis, & mu-
lier.*

Alius eiſdem ætatis Poeta, neſcio quis, ſed
vir alioquin magnus, dixit, & reapse exem-
ptis oſtendit, nullum dari ſingique in orbe
gravius aut exitioſius muliere ipſa malum
poſſe, eſſe quidem maris fluctus impetuoſos,
ignem violentum & noxium, paupertatem
duram & intolerabilem, aliaque eſſe, quæ
quidem perpeſſu grauiora forent, nihil vero fe-
mina deterius eſſe aut cogitari poſſe: eſſe
quidem eã malum adeo terum, verbis vt ex-
primi aut calamo nequeat, &c, *quod ſi Deus a-
liquis mulierem formauit, is ſe opificem malo-
rum eſſe ſciat maximum, & hominibus inimi-
ciſſimum.*

Si durum & graue auribus veſtris accidat
ſexus huius probra excipere, & quidem è
profanorum auctorum ſerinijs, paucis & ver-
bo idiplum è ſacris litteris declarabo. Mag. 3. Reg. 19.
nus ille Propheta Elias, iam laboribus ex-
hauſtus, & quodãmodo ſub eorum onere ſa-
tiſceus, & impia Iſabelis, mulieris, ſi qua
vſquam ad omnem impietatem ſerita-
temque edocta, rabiem declinans, finem vite
mortemque ſumma animi contentione, to-
tiſque votis à Deo ſupplex exoptauit dicēs,
*Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, ne-
que enim melior ſum, quàm Patres mei.* Reſ
mira: Propheta hic vnicam veretur mulierē,
qui vel verbo ignem cœlo deuocaſſet, qui
poſt triennem ac ſemestrem ariditatem im-
brē precibus impetraſſet, qui oratione motu-
m ad vitam reuocaſſet, aliaque plurima
prodigia in terta Iſraël operatus eſſet.

Exploratiſſimum eſt ergo, mulieris nequi-
tiam merito ſemper optimo cuique eſſe me-
tendam, & illam vitis ſanctiſſimis maxime
ſemper formidabilem fuiſſe, illamque vario-
ram per orbem malorum, erumnarum, cala-
mitatum ſeminarium ac ſontem exiſtiſſe,
quod vt perſuadeam, aliunde mihi exempla
acceſſenda non ſunt. Euangelium præſens no-
bilem quãdam dabit inſtar omnium ſura-
ram. Hic namque videbimus Herodiam
mulierem, omnium mea ſententia & ſcele-
riſſimam & deterriſſimam necem moliri, in
inno-

innoxium sanguinem conspirare, Herodem ad nefas pellicere, regi incestuoso concubitu copulari, ad Prophetas de medio tollendos illum nequiter impellere, & tantum moliri, Ioanni Baptistæ viro sanctissimo vt ceruix in carcere præcidatur. Ex Euangelij serie id dicere licebit dicente, *Misit Herodes Rex, & tenuit Ioannem.* Ipse in duas vniuersum partes disperiar, prima Herodiadis nequitiam & Herodis immanitatem prosequar, altera Ioannis Baptistæ tum virtutes, tum martyrium deducam.

Primam ergo vt aggrediamur, & historiã iam inde à sui exordio ac fonte arcessamus, nouerimus necesse est, tres vniuersum Herodes in Scriptura nominari, Primum Aiscalonitem, qui paruulos ad necem est persecutus; secundum Antipam, qui & Ioannem capite munit, & Redemptorẽ in die parasceues, alba ad ludibrium indutum veste, eum vt facuum sugillando, risu omniũ fannisque militariibus exposuit; tertium denique Agrippã, qui Apostolum Iacobum de medio iustulit, & Petrum in carcere compegit, ei necem pariter illaturus, ni missio coelitus Angelo eum Deus inde eduxisset. Herodes ergo Antipas eũ fratris Germani etiãnum viui vxorẽ nefatio matrimonio sibi iunxisset, quod incestus erat crimen, & maximum proximĩ offendiculum, eius rei fama per omnes Iudææ angulos est diuulgata, & tandem etiam Ioannis Baptistæ ad aures venit. Ille ergo honoris diuini zelo actus, & salutis animarum desiderio ardens, solitudine egrediens, regiam recta petit, regem adit, & audacter libereque peccati illius scditatem & abominationem reprehendit, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui;* quasi diceret: Regibus quidẽ, qualem te esse scio, multa, inelyre Rex, licent, quæ non alijs fas enim illis est omnibus absolute præstare, & subditis dominari, ipsique leges, edicta, constitutiones præscribere, iustitia tribunalia constituere, vna quidẽ manu gladium gestare ad noxios morte multã dos, altera vero lauream & oliuam misericordie ad eosdem morte eripiendos, vitaque donandos; licet illis subditos ad bellum ciedere, tributa & vectigalia imponere, oneraque & portoria indicere, & suo in regno ita omnia efficere, vt à solius Dei dependant dex-

tera: at diuinã violare mandata, coelestis legislatoris leges infringere, infanda scelera committere, & subditis scandalum creare, minime licet, quare *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Licet tibi quidem, Rex, habere stipatores & corporis custodes, illustres in regia viros, qui te circumstent, in serinijs autum, in equilibus equos, in cynotrophijs canes venaticos, in caueis aues altiles, in cõclauibus tapetia, in abacis tũ aurea, tum argentea vasa, in vestibus gemmas & margaritas, gratissimã auribus accidẽtẽ harmoniã, exquisitissimos & lectissimos in mensis missus, aliaque voluptatũ ac delectationũ genera; at Deum ter maximũ offendere, illius maiestatem irritare, in vitia præcipitare, fratris vxore abuti, plane nõ licet, & summi est nefas, *& non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Lasciuus vero & venerus hic Rex tã honestam & adeo ardenti è charitate proficiscentem correctionem minime ferens, & illa oratione exacerbatus, vnde in melius vitã emendandã occasionem haurire debuisset, inde est in deterius mutatus, & aduersus sanctum huic veritatis præconem conspirans, in carceres eum coniecit & vincula. Vnde huic conrigit, quod illi, de quo apud Ezechielem, *Miserunt eum in carcerem, ne audiretur ultra vox eius super montes Israel.* Ioannes ergo in abditissimum detruditur carcerem, ne prædicationis eius vox, sanaque & salutaria monita vltra in Herodis impij aula audirentur.

Quæritur hic, num iniqua huic & sacrilegæ incarcerationi Pharisæi & Scribæ sint cooperati, & Herodi in eadem assenserint? noui que adeo exõtica aut inbleus hæc quæstio est, nec etiam ratione carens, neque enim verissimile videatur, Antipam, tametli Tetrarcham & potentem Principem, in talem tantumque virum, quem olim ceu Messiam plerique habuerant, Synagogæ Principum & capitum iniussu manus impas iniicere ausum fuisse. Lyranus in Matthæum sic hanc controuersiam dirimit, *Herodes, inquit, de consilio Pharisæorum, & Iuvisperitorum, vt probabiliter creditur, Ioannem in carcerem coniecit.*

Eidẽ opinioni accedit pius iuxta ac doctus Dio-

Ezech. 19.

Num Pharisæi Ioannis incarcerationi sint cooperati.

Lyranus Matth. 17.

II. Herodes nes.

Dionys.
Carthuf. in
Matt. 17.

Dionysius Carthusianus in eundem Matthei locum scribens, *Herodes de consensu, & forsitan consilio Scribarum, Pharisaeorum, ac Sacerdotum, Ioannem incarceravit ac decollavit.*

In Ioan. 4.

Caietanus in Ioannem commentatus idem omnino asserit, *Insinuat, inquit, Euangelista Ioannes, Pharisaeorum invidiam tradidisse Ioannem Herodi. Subscribit his & Iansenius dicens, Verisimile est Herodem neque potuisse, neque ausum fuisse capere Ioannem, nisi consentientibus & cooperantibus Iudaeis, quorum tunc summa erat auctoritas.* Eisdem saeculariarius Toletus addit, Pharisaeis Ioannem exorsum fuisse, eosque proinde in vitam eiusdem conspiratione facta, suis tantum molitionibus ac machinis fecisse, ut in Herodis incidere manus. Elicit hanc ipsam opinionem e

Cap. 2. Cōcordia.

Toletus

Ioan. 4.

Matth. 17.

Christi verbis apud Matthaeum, *Elia iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quaecumque voluerunt.* Loquitur ibi de Ioanne Redemptor, quem Elia donat nomine, declaratque non ab Herode illum solo, sed ab alijs etiam plurimis, Scribis scilicet, Pharisaeis & Synagoga Principibus, in ergastula constrictum, & morti adiudicatum. Hinc sanctus Hieronymus in illud ipsum Matthaei caput commentatus Pharisaeorum aduersus Ioannem conspirationem, magni huius Prophetae morti initium & consensum dedisse testatur.

Matth. 4.

Eruietur haec rursus opinio ex illis Matthaei verbis: *Cum audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset.* E quibus efficiamus necesse est, Ioannem in Herodis manus ab alio quopiam, aut permultis traditum esse. Credibile fit ergo a Pharisaeis ipsum tyranno traditum fuisse, ut a proditore Iuda Seruator Principibus Sacerdotum. Notetis hic velim, Auditores, mundi inconstantiam, & hominum proditorem; Pharisaei, ecce, hodie Herodi in manus eum consignant, quo morti deinde addicatur, quem alias ut Messiam suspexerant, coluerant, & illustri missa legatione honorarant. Mundus ergo merus est impostor, nihil in eius actionibus fidi, nulla in verbis fiducia, nulla in promissis certitudo.

S. Ioannes
Herodem
publice co-
arguit.

Est & alia controuersia, num scilicet publice, an vero priuatim dumtaxat Herodem peccantem Ioannes coarguerit? Relictis

aliorum hac de re opinionibus & concertationibus, sequar, & dicam, quod maxime videtur probabile, nempe publice illum in eius caedera infurexisse. Ut omnitemerum rationem, qua publicum peccatum publice etiam reprehendi debere sit verisimile, plurimos eosque grauissimos huius sententiae habeo suffragatores: Abulensem imprimis dicentem, *Ioannes predicans arguebat publice Herodem de illicitis nuptijs.* Victorium item Antiochenum, *Ioannes, inquit, palam Herodem reprehendit.* Plura addit Chrysostomus: vult enim pleno toto eam correptionem factam esse, id est, coram omnibus: *Ioannes cum fiducia in medio foro dicit: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Gloriatur Iulianus, eum sibi alias animum & generositatem fuisse, ut de rebus diuinis coram regibus & terrae principibus intrepide & sine rubore villo loqueretur: *Loquebar, inquit, de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundabar.* Quam scite hoc apteque in Ioannem quadret, tum quod reges reprehenderit, tum vero insignem in vitijs taxandis libertatem praetulit: Ecce enim ut coram Herode conacionetur, aduersus eius sacrilegas nuptias detonet, denique vi sine confusione, pudore, formidine, pauore peccantem intrepide coarguat. Non longas necit ambages, non parabolarum narratione mollem sibi ad regias aures aditum sternit, ut apud Dauidem Nathan, sed simpliciter & audacter, coram & in faciem sine furo villo ait, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui.*

Sed notate hic miseram conacionatorum commonentiumque fortem, mundi ingratitude, Principum stuporem & caecitatem, denique mulierum rabiem ac malignitatem.

Salutaris haec monitio Herodiadem offendit, praedicatio haec displicet pellicis, sancta & sana correctio voluptatibus ueneris ac lasciujs meretricijs est inimica. Vindictam ergo vltionemque cogitat, zelotum hunc Ecclesiasten aula eiicere statuit, & impedire, ne caelum terraque deinceps lubrica suae voluntati incessuq; villo modo adieretur. Hinc necem illi molitur, in perniciem eius con-

Abul.
Matth. 14.
Cap. 11.

Hom. ad
popul.

Psalm.

2. Reg. 11.

III.
Herodias
conspirat
in Ioannem.

coniuat, monitorem de medio tolli optat; & ut optatum res exitum nanciscatur, omnem mouet lapidem, & qua potest arte elaborat. Ergo epulum instruitur, indicitur tripudium, choreæ ducuntur, veneræ faces inardescunt, amor & mors inter se conflagunt, in innocentem noxia fertur sententia, illius caput in disco postulatur, præcidi ipsum mandatur, & ecce, mandato factio in carcere præceditur. O ferales & Thyestææ epulæ! ô scelestæ conuiuia! in quibus Herodias simul & Herodes concurrunt, veneræ scilicet & regia potentia, cupiditas & suprema maiestas, malignitas simul & potestas.

Euseb. 7.

Hieron. Euseb. 7.

Conuiuia nocent, & malum efficit natura.

Cathar. li. de imag. Dioc.

Regi. 40.

De huiusmodi conuiujs hanc sententiam tulit Sapiens, *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij: in illa enim finis cûctorum admonemur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.* Quæ verba paraphrastice sic exponit magnus Hieronymus dicens, *Vrius est ad exequias funeris quam ad domum ire conuiuij: quia ibi recordatione conditionis nature, & fragilitatis humana ex presenti cadauere commonemur.* Pro! quanto fuisset fatius, defuncti alicuius cadauer ad tumulum stipasse, quam luctuoso & fatali Herodis epulo interfuisse, in quo sanguine natant vniuersa, in quo in innocentissimi viri necem conspiratur, & feralia molimina prociduntur! Conuiuia sanè non nisi mala, calamitates & casus tragicos secum trahunt. Conuiuia turbant & confundunt quidquid in homine: rationem captiuam ducunt, cerebrum perturbant, sensus cogunt obbrutescere, affectus succendunt & inflammant, reges in tyrannos, sapientes in furias, tetarchas in Herodes commutant. In quam rem deseruiet, quæ iam producam emblemata.

Veteres, moralitatem in omnibus propè consecrantes, Bacchum bicornem pingebant, & cribrum manu gestantem. Hacce pictura denotabant, vinum moderatè ac debita cum temperantia sumptum, & conuiuia honesta & ritè ordinata, tristitiæ fugandæ & prauis animo passionibus pellendis peridonea esse, non fecus ac cribro triticum à palea segregatur. Testatur hoc etiam Scriptura dicens, *Vinum laetificat cor hominis*, si nimirum cum moderatione bibatur; verùm si immodicè, & temperantiæ fines excedendo, bruti iastat hominem

Bess. de Sanctis.

in furias rapit & insaniam; quod ipsum binis hisce cornibus designabant. An non enim hodie vinum, ebrietas, & bacchici illi vapores Herodem in furias adigunt, & in teterrimum, si quod vsquam auditum, facinus consensum præbere cogunt?

14. 23.

Osee 4.

Vinum & luxuria hominem in belluam mutant.

Conuiuia causantur mala varia.

Ierem. 6.

Iob 1.

1. Mach. 16.

2. Reg. 13.

Ierem. 40.

Luc. 16.

Quàm verò scitè locutus est Oseas Propheeta, cum hac super re agens, quàm paucissimis eam complexus verbis ait, *Vinum & fornicatio auferunt cor homini*, ratione eum despoliant, passiones armant, animæque imperium ac dominium penitus perturbant & distrahunt. Duo nempe abominabilia hæc flagitia hominem in belluam mutant. Vetera aliudè exempla in testimonium arcessenda non sunt; respicite dumtaxat hunc Antipam, & videbitis Herodiadis illicijs, & vini ingluuie illi cor auferri, & in belluam ac pecuinos appetitus conuersti, ut vel dimidium regni læciæ impudicæq; offerat saltatriculæ, & virorum iustissimum morte condemnet.

Hic finis est conuiuiorum mundanorum, Herodum scilicet furor, Herodiadum offensarum rabies, iustorum interemptio, sanctorum condemnatio, sanguinis humani effusio, Messia præcursoris decollatio, impudica tripudia, sanguinariæ postulationes, promissa inconsiderata, aliaque mala sexcentas, quæ spiritu Prophetico præuidens Ieremias, neminem non exhortatur, ne conuiujs vmquam intersit. *Nò ingrediarius domum conuiuij.* Conuiuia quippe loca sunt, in quibus de eadè perpetranda consultitur, prodicionis coguntur conciliabula, homicidiorum ponuntur fomenta, & mortis intentandæ tribunalia eriguntur. Mille ad manum exempla sunt: Filij Iob medias inter epulas ruina inuoluuntur, magnus Sacerdos Simon, eiusque duo filij Iudas & Ioannes in mensa à Ptolemæo oppressi contrucidantur, uti Machabæorum prodit historia: Amnon filius Dauid in conuiuio immissis percussoribus obtruncatur: Godolias Babylonicarum copiarum præfectus ab Ismaele mensas inter & vina & lautitias opprimitur: deniq; diues Epulo conuiuio & lautis ferculis viam sibi ad æternam damnationem strauit. Exclamare ergo meritò liceat, ô infortunata, horrenda, infelicia, & funesta conuiuia!

Nihil verò vmquam simile vidit mundus ijs, quæ hodie in Herodis conuiuio peraguntur.

T t t

Dionys.
Cathol.
Matt.

In

Mundani
effusi sunt
in illicita,
in sancta
parci.

Hadai libe-
rales in Re-
demptore
vestiendo,
vt eum irri-
derent.
Matth. 27.

Exod. 32.

EA tur. In eo namque impudens foemina, arro-
gans pellex, & incestuosa Herodias caput Io-
annis filij Zachariae in mercedem poscit: in eo
Antipas iudicium mentemque amittit, in eo
temere inconsiderateque regni medium salta-
trici leuiculae cum iuramento offert, *Licet*, in-
quit, *dimidium regni mei poteris*. Et sane lon-
ge fuisset tibi satius, integrum regnum ami-
sisse, quam tam illustrem virum tuo consensu
caput amittere. Hic paulisper gressum fige a-
nima mea, & mundi abusum caecitatemque at-
tenta meditatione intueri. Diuites, opulenti,
& mundi huius magnates, liberales se, quin &
prodigos aliquando & effusos in illicita, noxia
& animae damnosa ostendunt, sed si quando
virtutum honorumque operum res agitur, aua-
ros & tenaces, Lusibus, tripudijs, laruis, conui-
uijs, tapetijs deesse nihil potest, sed omnia im-
penduntur quam liberalissimè; pauperibus è
contra, egenis, præ rubore mendicare non aus-
sis, & necessitate domi pressis vix teruncium
dant, non suppetere sibi conquirentes. In fidi-
cines, auledos, mimos, histriones, meretrices &
scorta, amorum conciliatrices, & pararios tur-
pitudinis omnia effunduntur quam effusissi-
mè; sed in Ecclesiarum restaurationem, coe-
nobiorum ac religiosorum alimenta, & xenodo-
chia & ptochodochia si quid erogandum, me-
ra vbiq; indigentia, parcimonia & avaritia.

Vtrem ita le habere percipiat, videte vt in
Dominica passione liberales se declararint Iu-
dæi in Redemptori vestibus dandis, sed ad eum
magis inde affigendum, patientiusque eius lu-
dibrium, data veste alba in Herodis domo, &
coccinea in Caiphæ: sed dum turbas instruit,
dum tot prodigia operatur, ægros sanitati re-
stituit, ne vnam quidem illi datam legere est.
Ita cosmophili, seu noui quidam Iudæi, cum
de Deo exacerbando, vitij, que admittendis a-
gitur, meram vbiq; pompam crepant, & ma-
gnificentiam ostentant; sed si quod bonum
suscipiendum opus, plebeios & triuales pas-
sim animos videas.

Veteres illi Hebræi aureum conflaturi vitu-
lum, qui idololatriæ fuit occasio, nullis peper-
cerunt sumptibus, omne suum illic aurum &
argentum offerentes, ipsæ etiam mulieres ar-
millas, monilia, in aures, & cimelia: ac cum cõ-
strui tabernaculum Deus cõ iussit, & pro sua
quemque facultate ad eius constructionem con-

tribuere, quam paucissimi vltro quid oblatum,
aut de suis facultatibus gratanter donatum ve-
nerunt. Non secus etiam hodierna die in mû-
do viuunt: si quando honos Dei, aut reru fan-
ctarum promotio agitur, omnis illic caritas
extincta apparet: contra cum vanitati, & mû-
di ineptijs quid tribuendum, liberalitas inua-
lescit, patet thesauri. Exemplo sit Herodes no-
ster: forte in honorem & cultum diuinu ani-
mæque beatitudinem vix obolum pauperibus
dedisset, & in lasciuia & peccatorum fomen-
ta, & vt ne impudico displiceat scorto, mediu
regni vltro libenterque donat. Quin, quod longe
deterius, sanctissimi ac zelosissimi, si quis v-
quam mûdo visus, concionatoris caput offert.

O ferales amores! ô libido detestabilis! ô
luxuria summè damnabilis! quot tu mundum
calamitatibus inuoluis: tu familias florētissi-
mas euertis, domos turres, respublicas mergis,
regum palatia ad solum deiicis, templa profa-
nas & altaria, per regna denique & prouincias
incendia & flammam spargis. In huius rei fi-
guram vidisse olim se Daniel ait effera quã-
dam belluam vltro simillimam, cui dictum,
Surge, comede carnes plurimas. Vera hæc luxu-
riæ imago est & libidinis. Est quipe bellua in-
domita, effera & ferox, cuius omne exercitiu
est deuorare carnes plurimas, id est, permultos
veriusque sexus mortales carnalibus illecebris
irretitos in perniciem trahere. Ac que ita ipsa
non nisi carnibus victitat ac pascitur, insurgit-
que ac facit in eos, qui eadem faucibus edu-
cere satagunt. Conabatur quo poterat modo
Ioannes Baptista vrsæ huius dentibus extrahere
carnem, Herodiadem inquam, eamque He-
rodi auferre, sed in ipsum vrsæ dentes exacuit,
ac furorem omnem stringit, primo illi impetu
caput abripiens.

Refert 17. Apocalypseos capite hanc visio-
nem Ioannes: *Vidi*, inquit, *mulierem ebriam*
sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum.
Scio, qui mysterij huius penetratia accuratius
ruminantur, sanguinariam Synagogam in hac
muliere signare: quid ni tamen moraliter & al-
legorico in sensu de luxuria capiatur? Vitium
enim hoc mulieris sub imagine representatur,
quæ non nisi innoxio potatur sanguine. Hau-
sit nempe imprimis illa generosi Vitis sangui-
nem; discrimini obiecit illustri. Iosephi vitam
in domo Putipharis, deniq; Ioann s Baptiste
nostri

Mundani
in honore
Dei spoli-
tibus pau-
in vitium
suadenti-
bus effusi.

Luxuriæ
symbolum.

Apoc. 17.

Herodias
assimilat
mulieri
sanguinari-
æ Apoc.

noſtri in Herodis aula cruorem magna cum immanitate effudit. Longè etiam rei foret accommodatius, ſi quis mulierem illam Apocalypſicam inceſtuofæ Herodiadis eſſe imaginè dixerit: ipſa namque verè ſanguinaria eſt mulier, ſincero innocentium ſanctorum, prædicatorum, eremicolarum, & Prophetarum ſanguine ſaturata.

Traya 23. muliſſim.
Inter Thomycidis Scytharum reginæ barbaram immanitatem hæc primum haud dubiè locum obtinet, quòd Cyrum Perſarum monarcham bello captum capite minui iuſſerit, & ipſum in vas plenum ſanguine demergi, dicendo, *Satis te ſanguine Cyre, quem ſitiſti.* Non minor aut mitior Herodiadis ſauitias eſt, quæ cognito iuratum aduſſarium ſuum Ioannem Baptiſtam, virum inter ſanctos ſanctiſſimum, in Herodis agere carceribus, caput illi præcidi, & in diſco medias inter epulas adferri mādatur, vt viadictæ cupidiffimum animum tabido hoc cruore manante ſatiaret.

Gen. 39. Docet Genetiſ laſciuæ heræ accuſatione & machinis caſtiſſimum æquè ac ſanctiſſimum adoleſcentem Iofephum in carceres coniectū, quaſi ipſe heræ eiufdem pudori inſidias ſtruxiſſet, & præſentiſſimū hoc nomine vitæ diſcrimè adiiſſe. Ibi quidè Puripharis vxor eſt adulteriū molita; hic verò Philippi vxor tetra in inceſtu viuens, innocentem ſanctumq; Ioannem in vincula cōpingi iubet, eius vitæ & perniciem molitur & inſidias, & tandè ceruices eiufdem præciſas depoſcit. Cui Herodes venereo excæcatus ſaſcino haud grauè morem gerit.

Lib. 1. de David.
Mira ſunt ac præclara, quæ huius occasione ſcribit S. Ambroſius: *Samon, inquit, validus & fortis leonem ſuffocauit, ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit; vincula ſoluit hoſtium, ſed ſuarum nō ſoluit nexus cupiditatum; meſſes incendit alienas, ſed vnius ipſe mulieris accenſus igniculo meſſem ſuarum virtutum amiſit.* Verè muliebri hæc non ineleganter impudicis Herodis regis amoribus accommodari queant, qui Herodiadem ardens, honoris, famæ ſimul & animæ iacturam fecit. Ex iſdem omnes itidem diſcrimines, nihil adèd vehemens ac violentum, nihil formidandum magis, quàm mulieris cuiuſpiā cupiditate inardere, vbi firmas ea ſemel in viri animo radices egit. Et ſi vel vniuerſum domet orbem, & vniuerſos ſuo ſubijciat iugo, ab hac tamen paſſione miſer ſubiugabitur.

Inter primaria Salomonis Prouerbia non poſtremum hoc obinet locum, *Fovea proſitida eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena inſidiabitur in via quaſi leana, & quos incautos inueniet, interficiet.* An non hoc liquidò in Herodiade pateſcit? an non ipſa præcipitium, fovea, abyſſus, & anguſti oriſicij puteus fuit, in quem cum miſer Herodes de lapſus eſſet incautus, numquam eodem potuit educi? an non velut ſanguinaria quædam fuit leana, in Herodis regia glaſſans & inſidias ſtrues, vt viros innocuos interceptat? an non Ioannē Baptiſtā nihil minùs opinantem adorta eſt, & vita ſpoliauit?

Prou. 23.

S. Ambroſius ſanguinariam hæc mulierem introſum & foris contemplatus, & eius impudentiam, crudelitatem, impietatem immanitatemque abominatus, illius occasione in vniuerſum omnino ſexum inuehitur & detonat: *Ianua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, noxiūq; genus eſt femina, cum proximat, ignè accendit.* Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homilia in hoc ipſo feſto habita longius progreditur, maiorem indignationem præfert, & viuacioribus Herodiadem hanc coloribus depingit: *Ioannem Baptiſtam in deſerto vinentem dracones & aſpides cornuta ſubdita feritate tremuerunt, Herodias verò eidem caput abſcidit, & tanti viri mortem in pretium ſalutatis accepit.*

Lib. de offic.

In feſto decoll. S. Ioann. Bapt.

Quapropter rei atrocitate concitatus, & iracundiæ & indignationi ſuæ habenas laxans, exclamat: *O ſummum malum, & acutiſſimū diaboli telum mulier!* per mulierem Adam ab initio in paradifo cecidit, mulier ipſum exermi nauit. Audite & alia longè tetriora & indigniora: *Per te bella ſunt, per te ſapientes ſe perdūt, per te Sacti occiſi ſunt, per te ciuitates combuſtae ſunt, per te vita perditæ eſt, per te mors inuenta eſt, per te diuites pauperes, per te pulchri turpes, per te fortes debiles, per te veraces mendaces, per te caſu luxurioſi, per te humiles ſuperbi, per te pœnitentes inobediētes, & Deo odibiles ſūt.* Etc.

Ibid.

Fœminæ multorum malorum cauſa.

Quid porò in malignarum mulierum dedecus & ignominiam dici ampliùs poſſet? quapropter pluribus hac de re non agam, atq; inde ad aliud concionis membrum digrediar.

IV.

Audiſtis, Auditores, quibus tum Herodiadis ſcelus verbis expreſſerim, cuius occasione de malis in genere mulieribus, deq; earum affectibus ſermonem inſt. tui, tum verò Herodis

Exaggeratio martyrij S. Ioan. Bapt.

& immanitatem & impietatem, qui impudicis lasciuæ huius mulieris captus amoribus in Angeli humana in carne in terra agentis vitam conspirauit. Reliquum iam est, vt sancti huius viri merita eiusq; mortis diritatem vobis exponam. Sed cheu! interiora hic mea ad inuicem colliduntur, cor mihi palpitat, sanguis intra venas congelascit, stant præ metu comæ, toto vultu expallesco, oculi caligant, spiritus omnino confunditur, lingua sonum negat, & halitum pulmones non sufficiunt, vt adeò ferale supplicium, mortem adeò tragicam, & tam cruentum martyrium pro dignitate exprimam. Quid? scelerum magnitudo virtutum è mundo aufert lumina ac decora, de innocentia triumphat iniquitas, libido castitatis florem cogit emarcescere, Herodes in S. Ioannis Baptistæ necem consentit.

Ioannis Baptistæ gloria.

O rem nouam & inauditam! ô paradoxa! ô prodigia! Sanctus Ioannes virtutum academia, vitæ piæ instituendæ magisterium, sanctitatis norma, iustitiæ forma, virginitatis speculum, pudicitiaæ vexillum, castitatis exemplar, pœnitentiæ triumphus, solitudinis gloria, & fidei pater: Ioannes inquam homine maior & dignior, Angelis par, legis compendium, Euâgelij pretium, Apostolorum vox, Prophetarum omnium silentium, lux mundi, Iesus Christi prodromus, Iudicis præco, Domini tuba, Dei testis, vniuersæ SS. Trinitatis delictum, mundi miraculum, incestui, adulterio, meretrici infami vltro offertur? ô nimum iniquas abominaciones, & abominandas nimis ah! iniquitates!

Capitis S. Ioannis e. logia.

Scelerus & sanguinaris tyrannus veritate hac & salutaribus Ioannis admonitionibus irritatus, caput illi præcidi iubet. Immane & cruentum mādatum, & impietas nimis quàm enormis, caput illud præsecare diuinum, tanta sapientia ac virtutibus instructum, quod cõtinebat duos illos oculos, qui Spiritum sanctum iam olim in specie columbæ descendentem viderant. caput illud illas habens aures, quæ magni illius Patris cœlestis vocem exceperant. caput inquam illud, illa donatum lingua, quæ tot sanctas prædicationes fecerat, ac Deo laudes dederat, tot efficaces ad superos preces effuderat: lingua inquam illa, quæ sacra illa prolucuta erat verba, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; quæ cœlo terræq; admirationem mouerant.

Pharao Aegypti rex natalem suum solenni celebrans epulo, crudeli illud cæde scœdauit, dum ea ipsa die pistorem suum de medio tolli iubet, diei sacri lætitiæ ac plausum ferali interurbans morte. Hic verò non minor conspicitur crudelitas: Herodes enim tyrannus, quo primùm die in cœlestes editus est auris, eo etiam medias inter epulas & tripudia Ecclesiastæ suo, qui vitæ panem (de quo Propheta dicunt, *Paruuli perierunt panem, & non erat Toren, qui frangeret*) illi propinabat, caput præcidi imperat. Vnde tyranni huius crudelitas colligi potest, & simul haud diuturnam eam fore, cum adeò prodigiôsè grassari incipiat.

Naturæ portentum Nero, hominum carnificina, diuinitatis omnis expulso, cum in decorum omnium simulacris & Cæsarium statuis capta deturbari iussisset; tenatus rei atrocitate turbatus, consulendos augures censuit. responsum est, euidentis hoc signum esse, breui Neronis fore imperium vt finem accipiat, quòd nefas esset eum, qui nec duorum, nec hominum capitibus parceret, mundi vniuersi caput esse. Viso ergo hodie Herodem in Deum simul & homines, & imprimis Ioannem Baptistam insurgere, caput illi auferri dum mādatur, auguror & conijcio, non diu illum fore superstitem: diuos quippe & cœlum offendens, diuitius in terra qui imperet profus indignus est.

Ergo in sancti huius viri vitam conspirat, illius de medio tollendi rationes & consilia agitat, denique caput eius velut donarium & honorarium adulteræ consignat. Sanctus autè Propheta sententiam æquo animo fert, enli collum præbet, tyranniq; impietati feritatisq; cedit, & ad mortem vsque pro iustitiæ tuitione decertat, consilium Scripturæ secutus, *Vsq; ad Ecclesiastæ mortem certa pro iustitia*. Magnus sane martyr & longè omnes mundi martyres transcendens, eò quòd ob Christum dirissimam mortem optetierit, antequàm etiã pro ipso Christus in cruce moreretur. Ceteri martyres suū secuti sunt ducem, non verò præcessere; illi prius morientem conspexere, ac deinde palæstrâ ac certaminis ingressi locum, eius ad exemplum & imitationem vitam & animam pro ipso exposuerunt.

Mortuus deinde est sine vllò consolationis externæ auxilio, quod vix vlli Sanctorum legimus contigisse. S. Stephanus Protomartyr magnos

Pharaois & Herodis crudelitas par. Toren. Richard. Brak. lib. 1. Herodes Neronis al. simulatus. S. Ioannis omnes martyres superant. A. A. 7. gnos

gnos haud dubie cruciatus perferebat, uti e sacra Actorum historia legenti fit manifestum; sed videbat quoque caelos apertos, & Iesum stantem ad dexteram Dei Patris, quod incredibile illi consolationem afferebat; adeo quidem magnam, ut saxorum imbrem minimè sentiens, nec mortis perhorrescens agonè, gaudio satur exclamarit: *Videò caelos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Id ipsum & reliquis sanctis certum est contigisse, qui suis in supplicijs & tormentis aliqua semper recreatione cœlesti, ac consolatione mentis interna perfusi sunt. Verum sanctus Ioannes Baptista patitur caelo etiamnum obserato, aditu eius vndiqueque oculo, & cum nemo adhuc in ipsum penetrasset.

Atque hanc ob causam Ecclesia eius celebrans præconia, eo illum condecorat epitheto, quali non alios martyres, dum *martyrem præpotentem* indiget: ut enim mortem, quam subiit, oppetat, ingenti illum animo & maxima mentis potentia præditum fuisse oportet.

Inter alias visiones vidisse ait se Ioannes Satanam ab Angelo colligatum, & beatos cum Iesu regnantes. hinc ait: *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis, & animas decollatorum propter testimonium Iesu, & verbum Dei: & qui non adorauerunt bestiam, neq; imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis.*

Apo. 20.

Minimè dubitandum est, quin Ioannè Baptistam hæc spectet visio, atq; is inter decollatos princeps fuerit; ipse namq; propter testimoniū Iesu Christi (scriptū est namque, *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*) & verbum Dei, quod apud Herodem prædicare non est veritus, capite est imminutus, neque tetram illam belluam adoravit, id est, incestuosæ pellici non est assentatus.

Visio Apoc. calypso Ioanni Baptistæ accomodata. Ioan. 1.

Exploratissimum est ergo, tyranni huius dum sanctissimum hunc virum neci addidit, scelus, impietatem in tantum abominabilia, & ingentia fuisse, quantæ fuere è contra perfectiones, virtutes & merita eius, cui mortem intulit. In hoc namque scelere tria alia continentur summè atrocita: Angelum namque de medio sustulit; Ecclesiæ lumen exstinxit, & capite minuit eum, quo maior aut dignior inter homines, etiam Iesu Christi testimonio, non comparuit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.*

Impietas Herodis detestabilis.

Verè inquam Angelum de medio sustulit: Ioannes enim Baptista adeo diuinus & vita mirabilis fuit, ut nonnulli eius excellentiam nimium quantum exaggerantes, verè naturam Angelum, ac de spiritibus illis cœlestibus vnum fuisse existimarint: quod Origenem docere voluisse fit verisimile. Quin imò asserit Eusebius, fuisse nonnullos dignitatis sancti huius viri extollendæ in tantum studiosos, ut non hominem cæteris parem, sed Angelū aut dæmonem fuisse eum sint arbitrati. Sed evidens hic est error, & intolerabilis blasphemia, quæ vel vnico verbo Euangelistæ iugulatur & condemnatur dicentis: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes: vnde manifestum fit,*

Hom. 5. in Ioan. Lib. 9. De monstr. Euang. cap. 5.

Greg. Naz. in 10.

Exemplum perambulatum vult ad animam diadum.

Mat. 12.

1. Reg. 16.

Cur Ioannes dicatur Angelus.

verum illum hominem, alijs mortalitate non diffimilem, existisse.

Erat ergo officio dumtaxat, non natura Angelus; atq; ob similitudines, congruentias, convenientias, parallela & admirabilem cum Angelis sympathiam, Angelico dictus est nomine. Vt enim Angeli primò pueritiam & infanciam rerum ætatem ignorant, omnesq; liberi arbitrij vsu & exercitio iam inde à primo creationis suæ instanti donati sunt: non secus & S. Ioannes Baptista, quoad ea, quæ animam spectant, quid puerum esse sit, nesciuit; cum sexto à conceptione sua mense vaticinatus, & rationis sit vsu insignitus, quando scilicet matrem eius Deipara visitat, ad Domini ac Dei sui conspectum præsentiamque exultans, & præmentis gaudio materno in vtero subsultans.

Secundò, Angeli, indigenæ illi cælorum, visibili non vescuntur cibo, quali cetera creatura: uti hoc ipsum Raphael Tobie significauit dicens: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Eodem prope cibo utebatur Ioannes; nam ait de illo Redemptor apud Matthæum, *eximiam eius commendans abstinentiam, Venit Ioannes, neque manducans, neque bibens, &c.* Quamobrem ad ieiunia ciborumq; abstinentiam auditores suos animans S. Basilus, vniuersam Ioannis vitam perpetuum ait fuisse ieiuniū, adeò vt vitam talem ducendo, & tam modico ac parco vtendo cibo, Angelus reuera terrestris fuisse videatur.

Tertiò, Angeli purissimi sunt, & ab omni carnis iniquatione quam liberrimi. Hinc beati in Euangelio ob eximiam castitatem, in cælo Angelis dicuntur futuri per similes, *neque nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Atqui Ioannes puritatem adeò integram inuiolatamque seruauit, nulla vt vnquam vel minima eam labecula infecerit. Cor quippe eius semper mundum fuit, mores & agendi ratio quam honestissima, oculi puritatem spirantes, vita innocens. Quocirca non immeritò Angelus est appellatus, eumq; morte condemnans tyrannus, Angelū sustulisse cæsendus est.

Nec verò hoc solum nomine culpandus, verum etiam quòd lucernam illam ac facem exstinxerit, quæ per deserta Iudææ lucebat & ardebat: de illo namq; scriptum est, *Erat lucerna*

ardens & lucens. Hoc porro donatus est nomine, eò quòd lucerna non nisi sub noctis tenebras accendatur, & die plena exstinguatur sole iam omnia collustrante. Veteris legis tempus, nox erat & tenebræ, Euangelicæ verò dies & splendor. Vnde Apostolus Gentium, *Nox præcessit, dies autem appropinquauit:* id est, Iudaismus legaliumque cærimoniarum nox iam præterijt, Euangelij legisq; gratiæ dies accessit. Quamdiu ergo Iesus Christus, magnus ille Iustitiæ sol, nondum illuxit, nec Euangelij sui radios diffudit, S. Ioannes facis instar omnes illuminauit; at postquam ille manifestari iam cœpit & illucescere, hic se subduxit, lucerna exstincta est, & Ioannes ab Nerode interfectus. Præfugit hoc ipsemet, dum de se ac Redemptore simul ait: *Illum oportet crescere, me autem minui:* oportet inquam in cruce illum tolli & eleuari, me verò abbreuiari, ac capite imminui.

Secundò, lucernæ lumen modicum est, nec multos illuminat, sed eos tantummodo, qui in eadem versantur domo: sol verò per omnia lucem & radios spargit, splendoreque minima quæque illustrat. Sic Ioannes lampadis cuiusdam ac candelæ instar solium luxit, Palestina: solis instar limites eius lumen non est egressum, ac solos Iudæos, ad quos missus erat, illuminauit: at Iesus Christus utilans ille sol, per omnes mundi angulos lucem ac radios disperfit: ac propterea dicitur in Euangelio, *Lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* quin & hoc ipse se nomine insigniuit dicens: *Ego sum lux mundi,* atque eandem ob causam Apostoli eiusdem, *lux etiam orbis sunt nuncupati (vos estis lux mundi)* eò quòd per omnia mundi regna & climata profecti, conuocati, & visi sunt.

Tertiò, lucernæ lux claritatem quidem diffundit, & aiquatenus illuminat, sed non confundat: cum è contra solis splendor afferat lumen, & terræ fruges producat, vegetet, & in omnia terrena & subterranea influxum præstet, metalla namque sublimat, animalibus vitam, plantis vigorem & virorem suppeditat, ac sexcentas alias omnium rerum naturalium generationes, productiones ac natiuitates causatur. Sic Ioannes in deserto quidem rutulabat, & prædicationibus suis splendebat, sed animarum conuertendarū ac iustificandarū virtut-

Tob. 12.

Matth. 11.

Hom. de ieiun.

Matth. 22.

Ioannes dicitur lucerna.

Rom. 15.

Ion. 3.

Ioan. 1.

Ion. 3.

Matth.

virtutem à seipso nō habebat. Solius Dei enim est huiusmodi praeftate, atq; hoc penitus à sola Dei potentia, non autem hominum robore dependebat. Testatur hoc & Apostolus Paulus dicens: *Ego plantavi, praeedicando & docedo, poenitentiam; m, virtutes amorē Dei, mundi cōtempnum, erga proximū dilectionem, aliaq; plurima tradendo; Apollo rigavit, Deus autem incrementū dedit: sed neq; qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

VI. Herodes ergo Ioannem ensi subijciendo, rutilantissima orbem est lucerna frustratus, Angelum illi abstulit, quin & sanctissimū ac maximum, si quem vniquam sol conspexit, mundo virum invidit. Hoc de illo iudicium suo Veritas ipsa ore in Euangelio dedit, dicens: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* In huius porro iudicij confirmationem facit hoc Angeli de illo apud Zachariam patrem testimonium, *Et multi in natiuitate eius gaudebunt; erit enim magnus coram Domino.* Porro rō corā Domino variē à SS. Patribus exponitur. Credit namq; Ambrosius, Angelū his verbis magnitudinem hanc à corporali & seculari distinguere voluisse, quod Ioannis magnitudo talis non fuerit, sed quaedam sanctitatis, virtutis, & inuneris, quod exerciturus erat, excellentia.

Theophylactus putat, hoc pacto inter illius & hypocritarum magnitudinem factum discrimen, qui cum coram Deo nihil profus sint, magni tamen corā mundo comparent. Nuperi demum ac neoterici quidam commentatores phrasin esse Hebraicam volunt, ad eximiam aliquam claritudinē exprimendam vsurpari solitam. Vt & illa locutio Geneseos, qua inigne Nemodi robur exprimitur: *Nemroth roburissimus venator coram Domino.*

Ceterum ut morale aliquid afferam, non erit profus proposito dissentaneū, si quod legendo obseruauimus, hac accersamus; tripliciter scilicet quid magnū dici posse, corā se, coram hominibus, corā Deo; & triplici hac magnitudine cōprehenditur omnis, quae fingi danq; in mundo magnitudo potest. S. Ioannes vero duplici posteriori magnitudine, prae omnibus terrae magnatibus magnus fuit, non vero priori: coram se enim & in oculis suis ac summius iudicio paruus fuit, se ipsum parui fecit, ut nihilum habuit, nonnulla vniuersa quaeque ambiuit, ac delitescere stu-

studuit; quin magnitudinis suae titulos ac qualitates exprimere iussus, aliud se negavit esse, quā vocem clamantis in deserto.

Is ergo coram se magnus est, qui se arbitratur magnū, sublime quid de seipso sentit, seq; effert & extollit. De hac magnitudine exponit locū illum Isaie, *Inducit super mentē magnam, S. Basilius. qui verò hoc magnus est modo, verè magnus non est: quin potius eò quod magnū se credat, deprimitur, minoratur, omniq; meriti sui claritudine priuatur.* Hoc porro de se ipso Psalmographus testatur, atq; nihil se huiusmodi de se vniquam sensisse; *Non ambulauit, inquit, in magnis, nec in mirabilibus super me; si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animā meam.* imitatus est hoc Ioannes noster, intraq; contemptus sui limites consistens, ac nihili sui considerationem semper prae oculis habens, magni numquam quid de se ipso sensit, sed humilitate in omnibus passim praetulit, quā sanè adeo ipse eminentem habuit, ut pro Messia habitus, atque, ut D. Augustinus obseruat, cum hominibus imponere, ipsique certò persuadere potuisset, se Christum esse, nihil simile quid vniquam cogitarit, aedum fecerit, sed liberè & palam omnibus, magna sane mentis demissione de Messia dixerit, *Non sum ego dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Zebedaei filij, inani de se ipsis opinione oppleti, dexteras & sinistras in regno Christi, & summas identidem dignitates apud eum ambiebant; & ecce magni Zachariae filius, qui ad illius accedat pedes, & calceos dissoluat, indignum se arbitratur.

Secundo, is coram hominibus magnus est, qui hominum opinione ac iudicio magnus habetur. Hoc etiam magnitudinis ab hominū aestimatione ac sententia dependentis genus, summum & maxime admirabile in Ioanne Baptista fuit. Primò namq; tantae creditus est fuisse sanctitatis ac vitae integritatis, ut plurimū eum ut Messiam suspexerint, ut Lucae 3. proditur. Deinde quod eius testimonio omnes ad vnum Euangelistae sint ad Iesu Christi veritatem contra incredulos adstruendam vsi: vnde liquidò patet, magnū illum coram hominibus fuisse. Quod verò maxime mirandum est, ad hanc illi magnitudinem peruenit, & illustre hoc sibi apud omnes passim nomen peperit, non miraculorum aut prodigiosorum operū narratione, sed sola vi-

tae iam.

tæ sanctimonia: quod sanè, nisi viuendi eius ratio excellentissima & perfectissima fuisset, omnibusque admirationem mouisset, numquam contigisset.

Tertium magnitudinis genus est, esse magnum coram Deo, in quo solida ac genuina sita est magnitudo. Et næ ille verè magnus ac clarus, qui ea habet, in quibus hæc consistit magnitudo. In eo verò sita est, quòd magnus habeatur ab eo, qui falli in iudicando nequit, qui que infinitæ cuiusdam perfectionis & magnitudinis est. Tantus sanè adeoque magnus fuit Ioannes Baptista, si quidem eius virtutem & officium spectemus. Officio namque omnes qui præcesserunt Prophetas præcelluit; teste Redemptore ipso, qui apud Lucam hoc de illo fert iudicium, *Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista nemo est.* Quoad virtutem verò & sanctitatem magnitudo eius eluxit primò per admirabilem illam poenitentiam, per incomparabilem vitæ puritatem, per summam animi demissionem, per prædicandi zelum, & austeram triginta annorum spatio in desertis Palæstinæ vitæ conuersationem. Vnde merito de illo dixit Zachariæ Angelus, *Erit enim magnus coram Domino.* Scelestus porò ac nefarius Herodes hæc imminuere magnitudinem dū cogitat, illi caput præcindi iubet: verum caput, quo nullū exstitit sapientius, prudentius, ac sanctius.

Luc. 7.

Richard.
Brixienf.Emblema
ad exprimendum
caput sapiens.

Ioan. 1.

Pictor quidam ingeniosus expressit aliàs hominem quadruplici instructum capite, cum tantum non nisi vnicum singulis natura attribuat. Primo nomen erat prouidentia, secundo sapientia, tertio virtutis, & postremo fortuna: qua potentosa imagine designabat, quatuor hæc concurrere & coniungi debere ad perfectum aliquod caput constituendum. Cui verò dubium sit, quin huiusmodi Ioannis nostri fuerit caput, & quadruplex hæc perfectio pariter in illo concurrerit? Quem enim unquam vidit orbis, qui maiori fuerit illo donatus prouidentia, qui etiam altiori & eminentiori sapientia? Missus quippe à Deo est, ad scientiã non vni dūtaxat prouinciæ, vti ceteri Apostolorum, sicut Petrus Romæ, S. Andreas Achaia, S. Thomas India, sed orbi vniuerso communicandam. *Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* quin etiam illum testa-

tus est Zacharias pater venisse ad dandam scientiam salutis plebi eius. Quis etiam maiores sibi assiduo exercitio virtutes comparauit: hinc Angelus est cœlitus nominatus, & terræ cum incolæ vt Deum suspexerunt. Adco autem fortunatus exstitit, vt mox illo nato, dicere vicini cœperint, *Quis putas puer iste erit?* Quam merito ergo de illo dici illud Sapientis potest, *Benedictio omnium gentium super caput eius?*

Hæc igitur, auditores, vita & mors, laudes & aduersitates, benedictiones & persecutiones, prædicationes & martyrium S. Ioannis Baptista. Ab hoc ergo armamentario omni-gena iam arma vestrum est educere, ad vos ipsos contra carnem, mundum, & diabolum defendendos. E regio hoc orto omne odoriferorum, & egregiorum florum genus decerpit. Hic scilicet turris est Dauid, è qua omnis armatura fortium & panoplia depêdit, ab hoc concionatores verbi Dei annuntiandi zelum, peccatorum coarguendorum charitatem, & coram regibus & magnatibus sæculi audacter concionandi animum ac libertatem discant: Eremitæ & Religiosi solitudinis seruandæ leges, austeritatis regulas, vitæ monasticæ perfectionem: viri iusti notent quod in mundo occurrit periculum, mulierum nequitiam, tyrannorum immanitatem, & quæ viris sanctis in aulis Principum immincant discrimina: Dei serui constans hic obseruent propositum ad omnia pro Dei amore æquanimitè toleranda, cruce & tormenta patienda, cruciatus & supplicia perferenda, & si necesse fuerit, ad collum gladio submitteudum, vitæque, si se offerat occasio, eius nomine exponendam, à quo eandem acceperunt.

Tu vero Deus æterne ac viuens gratiam nobis præsta, vt tam præclaro in ludo tam egregie proficiamus. Linguam, obsecro, concede ad verbum tuum interrite annuntiaudum, zelum ad errantes corrigendos, constantiam ad tormenta superanda, & propositum ad omnia pro te, etiam cum vitæ dispendio, toleranda. Da, vt admirabilis huius filij Zachariæ, Angeli incarnati, & hominis Angelici, Doctoris solitudinis, prædicatoris Regum, terroris Herodiadum, aulicorum flagelli, tripudiorum cæloris exemplo, tuã discamus iustitiam propugnare, gloriam & honorem diui-

Cam. 3.

Gm.

divinum zelari, animarum salutem procurare, scandalis occurrere, peccata coartuere, Herodi similes reprehendere, & aduersus incestus detonare. Discamus, inquam, ad gloriosi ac beati huius martyris imitationem, insignem patientiæ virtutem ad carceres ac ferrum, rabiem & violentiam, iniustitiam & iniquitatem & omnia aduersa ferenda, etiam vitæ iacturam faciendam: sed in primis profundam illam humilitatis virtutem, quo nos ipsos despiciamus despiciendo reliqua, eò quod prius ille ad cœlestem gloriam sit gradus, ad quam nos Pater, nos Filius, nos Spiritus sanctus deducere dignentur. Amen.

IN FESTO NATIVITATIS DEIPARAE VIRGINIS.

Partitio.

- I. De infelicitate natalium mortalium.
- II. De nata Seruatiæ: sed cur tam sero?
- III. De gaudio ex Nata concepto.
- IV. De festiuitate gaudij ex Nata.
- V. De Nata meritis.

De qua natus est Iesus, qui dicitur Christus,
Matth. 6.

FIGURA.

Veteres Aegyptij pro more habebant Auditores publico quodam festo & applausu Principum suorum natalem celebrare, vt è quadragésimo Geneleos capite colligi datur. Longe maiori cum ratione fideles & Christiani, magno lætitiæ & exultationis testimonio, hodie & singulis etiam annis, beatum ac felicem natalem Principis suæ, id est, Deiparæ Virginis hominum simul & Angelorum Dominiæ ac Reginæ celebrare possunt. Hoc est, quod hodie colit & veneratur Ecclesia, quod vniuersa celebrat Christianitas, quod cœlum terramque lætificat, quod præsentis concione & celebrare & de prædicare conabor, cuiusque laudes, triumphos & mirabilia canam: tu sacra Virgo cymbam nostram dirige, cumque tui causam nauigationem instituerimus, tu nobis cynosura & helice esto, tuisque ad Deum intercessionibus, de Sanctis.

nibus præsta, vt Spiritus sancti flabrum auramque propitiæ sentiamus. Atque hunc in finem salutationem Angelicam omnes pronuntiabimus.

AUE MARIA.

Magna eorum dementia & insania erat, auditores, qui vitæ huius miseræ & ætumnosæ dulcedine inescavi felicem ac fortunatum eum putabant diem, quo in mundum exierant, & sui amore dementati, omni eum plausu celebrabant: si enim oculos coniecimus in id, quod vitæ nobis parat introitus, ingressus, commoratio & vita, quam in ipso viuimus, exitum gaudendi, sed plurimas lachrymandi dolendi que occasiones reperiemus. Et sane iniquum & impar videatur & rationi aduersarium, dicitur illum ab homine inter beatos & albo notandos calculo referri, quo magna cum infamia in carcerem coniectus est, gehennam passus est, & quo non prius egressurus est, quam dum ad supplicium rapitur. Idem nobis in vitæ huius introitu contingere solet, mundum enim mundum hunc iurantem tristem quemdam ingredimur hic hominem carcerem, in quo mille tormenta & mille crucis est carciatus pati debemus, nec eo prius egredi datur, cer. quam ad mortem dum rapimur, nefas igitur & indignum diem illum inter felices recensere.

Hoc perspectum habens Plinius, quamuis a Plinius de noquin veri Dei culus ignarus, diem natalem naturæ ex suum detestabatur, & cum natura ex postulat. postulabat, quod erga cætera se animalia vt matrem, erga hominem vero solum, vt nouercam, se exhibuisset. Nec in merito ea ex postulatio de prompta, certumque est, hominem quam pimum vt in mundum editus est, duplici carceri includi, corpori quidem animam, & corpus mundo, è quo post plurimos exantillatos labores non prius egredi dabitur, quam in cineres & putredinem conuertemur.

Egregia hoc figura è libro Exodi de prom. Exod. 20. pta faciet manifestius. Moyses è stirpe Leui prognatus mox vt natus est, in profluentem deiecit, & Aegyptiarum aquarum impetum experiri cogitur, Posuitque infantulum in ius, & exposuit eum in carectis ripa fluminis. Calamitatis nostræ augurium & signum manifestum, nos quamprimum vt nati in hunc mundum venimus, vitæ infortunij obnoxios & fluctibus, milleque aduersitatum hoc in mundo occurrentium vorticibus expositos esse.

Vuu

Hæc